

omninò rebus conveniens, qui κατ' ἐξοχήν NUMERUS dici, & *Essentis* omnibus contradistingui solet, quippe cujus unitates ab omni modalitate (nimirum à reali) præscindunt; utut modalitatem aliquam notionalem, etiam in hoc abstractissimo statu, secum quali vehant, quâ saltim aptitudo distinctionis concessivè subinnuitur: aut, si sit actualis dicenda, nuda Discretionis diversitas tantùm erit, non rerum numeratarum; & propterea notionalis potius, quàm realis, dicenda veniet, qua vices ipsius discretæ functionis (quoties nempe res ita discretè sumatur, quoties numeretur) indicantur, plerumque sub adverbiali voce VICIUM, *semel, bis, ter, quater* &c. qui dicuntur *Numeri modales*. cùm illi, qui neglectâ distinctionis aptitudine secundum nudam indistinctionem res quascunque referunt, vel qui neglectâ discretionis discretionem res quascunque nudè saltem discretas sistunt, ut *unum, duo, tria, quatuor*, &c. *purorum Numerorum* nomen, quasi κατ' ἐξοχήν obtineant.

§. 4. *Materia deinceps prima* nihil aliud est, quàm secundum quid omnimodè indistinctus (& simul indiscretus) certi subjecti conceptus, nullâ, quoad illud genus Entis, modalitate connotatâ. Dicitur in *Physicis* κατ' ἐξοχήν MATERIA PRIMA, quâ corporis partes concipiuntur, ut unumquid extensum ut *aliquid extensum*, non, ut *TALTER* extensum. Huic materiæ primæ si discretionem superaddas, hoc est: si partes extensas in eodem corpore tanquam discretas concipias, habebis, *numerum* illum minùs abstractum, quem vulgò præcipue *prædicamentalem* dicunt.

§. 5. Sicut autem abstractissimus numerus purus, tanquam *Materia primò prima* sibi comitem & veluti proprietatem entitativam habet aptitudinem distinctionis, quæ se per ipsum Numerum modalem h. e. per ipsius discretionis discretionem in antecessum exerit, quâ certis & distinctis, i. e. discretis vicibus idem numeratur, eam verò principaliter essentia quædam actu distincta, quæ realem diversitatem, compensat inducit; ita numerus hic prædicamentalis *Materia prima physica* dictus, præcisâ quidem distinctione reali (quo ad res physicas,) spectatur, sed perpetuam aptitudinem distinctionis physicæ, tanquam proprietatem, includit, quæ se per ipsius Materiæ distinctum conceptum, quem dicimus